DISPUNCTIO LIBELLI,

Ad

EMINENTISSIMUM

REGNI POLONIARUM,

& M. D. L.

PRIMATEM,

NOMINE

SUETICÆ MAJESTATIS,

transmissi,

à

JUSTO EQUITE POLONO,

Gotticarum Compositori Literarum,

DEDICATA.

NOn Regi Sueciæ, non Gottorum, Vandalorumq; Principi, cui faciliùs erat aciem componere, quàm epiſtolam, faciliùs hoſtiles cuneos, quàm amicas literas ordinare, brevi hoc Commentario reſpondebo. Nefas enim foret, aut Labem tantam Suæ Majeſtatis Purpuræ adſtruere, quam nulla ſæculorum delebit oblivio, aut temeritatem tantam affingere Capiti Coronato. Aquila muſcas non captat, neque Leo venatur mures. Non tangam igitur Sereniſſimi Adoleſcentis pupillam, parcam ætati primo bellorum æſtu abreptæ. Apes, ſumma tantùm faſtigia delibantes, non Fucos imitabor. Urticas præteribo, & humiles Myricas. Ut quicunque demum Author es epiſtolæ hujus, partum ingenii tui, deteſtari incipias; quo in Sereniſſimum Regem Noſtrum impudentiſſimè exarſiſti, poſtquam me legeris, in tuis criminationibus refellendis verecundum. Neque Nos Feris interea poſtpoſueris. Integri greges pro ſuo Ductore, vel Principe, bella gerunt. Apes, pro inermi ſuo Rege præliantur: Serpentes quin etiam, ſi cætera amittant, diligentiſſimè tuentur Caput. Et jam prodis in arenam clypeo Ulyſſis cooperte Scriptor, primumque telum intorques in apertæ pupillam veritatis:

Quæ

I. Quæ Nobis à Rege Poloniæ contra Pacta, Jusjurandum, datamque fidem, illata ſit vis, atque injuria, quantumque damni, & læſionis, eo ipſo veſtra perpeſſa ſit Respublica, notius Eminentiæ Veſtræ, quàm ut iis immorari operæ ducamus pretium.

Sæpè plus mali Medici nocuêre; quàm morbi: quoties aliam imbecillitatis cauſam dixêre, ab illa, quæ infirmitatem pepererat. Scilicet, ne tu quoque vera ſcriberes, tria calamo reſtitêre: Fraus, Livor, Inſcitia. Fraude, Livoreque paginam tinxiſti, quando procul ingenuâ fronte, damna, & læſiones, quas Respublica Noſtra perpeſſa eſt, tanquam Sole meridiano clariores forent, propriis Nominibus appellare, operæ pretium non duxiſti, ut ſubtilius deciperes. Periculoſius enim tibi fuit palam deprehendi, quàm audere; & facilius iſta poteras aſſerere, quàm probare. Legiſtine aliquando Manifeſtum Sereniſſimi Regis Noſtri, ſeu *Juſtas Vindicias*, in quibus Ratio belli nunquam prius cogitati, non minùs verè, quàm clarè adfertur? Erat forte tibi tantum ingenii, ut intelligeres; ſed non fuit tantum animi, ut inter cognatam ſervitutem, & deforme obſequium confiteri auderes veritatem. Audi jam, vel lege. Perinde mihi eſt à te legi, vel audiri. Sereniſſimus Rex Noſter, ab origine ſua, ſemper *Auguſtus*, (præter Nomen) vim nullam vobis intulit, ſed repreſſit, temerè laceſſitus, dum Portum ad *Polongam*, & ſuum littus extrueret, milesq; illius, juxta præſcriptum Senatûs Conſilii, inſiſtendo Legi Publicæ Anni 1690. huic operi incumberet. Quod Dünemünda, ita opportuno capta tempore, quis requirat? Olores etiam mitiſſimi, ſæpius Aqvilas domuêre.

muêre.

muêre. Domitiani Cæsaris Leo, quantumvis Africanus, & toties in Amphitheatro, ex insidiis triumphavit, formicis nihilominus præda fuit. Legisses utinam Legationem Scytharum ad M. Alexandrum in Curtio, coram quo uno, constanter *Orbis terrarum siluit*, modestius credo scripsisses. Pro eodem video apud te est, vim inferre, quod reprimere; Pacta, & datam Fidem violare, quod Jurijurando de *Repetendis avulsis*, in tempore opportuno respondere. Damna insinuas bello præsenti nata Reipublicæ. Quis externum Militem intra Regni viscera hucusq; retinuit? quis Serenitatem diu præoptatæ Pacis dissipavit? nisi vestra suspecta & infida Vicinia? quis Tributa Provinciis nostris imposuit? quis Nobilium ædibus ignes admovit? quis Senatorum Curias occupavit, & suis insedit Præsidiis? Suetici nimirum Turbinis procella, in causa est, quæ Nobis, quasi ex insidiis incubuit, & justissimas Serenissimi cogitationes, AUGUSTI Nostri, de educendo post Pacificationis Comitia, externo milite, hucusque distulit. Loquar clarius: *Vestra Vicinia*, tot annorum spatiis non minus formidanda Reipubl. quàm toties perspecta, prædictam omnium malorum, quæ Nos premunt, Iliadem ex arte composuit. Ne verò putaveris me temerè talia protulisse; interroga Curiam Regis Sueciæ, quàm funestum Reipublicæ Nostræ Ttactatum (ut priora anteactis temporibus interea subticeamus attentata) composuerit, cum Serenissimus JOANNES III. omnium sæculorum gloriam promeritus, ad eliberandam Viennam Austriæ, arma sua promoveret. Quam nimirum in Regni Nostri Provincias irruptionem adornâstis? si non ita feliciter, totius Christianitatis alea cecidisset. Putasne Nos ignorare Vestræ amicitiæ simulacra? quæ nunquam integra fide adoravimus, post tot bellorum experien-

 tiam,

tiam, in quibus semper fortunam Vestram, & Nostrum discrimen diligentissimè quæsivistis. Credis demum, quæ nuper acta sunt, latere Rempublicam? Nonne fœdum omnibus sæculis Fœdus intrâstis, si Elbingam Poloni, Armis vindicare, non præmeditatis Conditionibus repetere voluissent? Hæccine vera est erga Regnum Poloniæ amicitia? hæcne bonæ Viciniæ integritas? sincerè pando vulnera, quæ innocenti Reipublicæ inflixistis. Quod vera sint, quæ attuli, Curiæ Vestræ conscientiam ad supremum Tribunal, in cujus oculis nuda & aperta omnia sunt, appello. Forte igitur hæc ignorare voluisti, ut tantæ benevolentiæ significationem, felicius simulando, posses imitari. Profecto, nullum Nobis interea bellum imminebat, quod externæ militiæ suppetias exigeret, præter inopinatum belli Suetici Nuntium, qui classicum cecinit, ne civiles etiam Lithuaniæ motus, ita facilè componerentur. Gratulante nimirum sibi discordiâ, offerri speciosam occasionem, se tuendi, & amplius Pharsaliam proferendi, sub Clypeo alieno. Quidquid ergo malorum hactenus, quidquid damnorum emersit Reipubl. huic fonti debeas, necesse est, non Serenissimi AUGUSTI Nostri armis, longè alia cogitantibus. Sed illa est calami tui malignitas, ut cum ipsi fueritis cunctorum Authores damnorum, non modo tantùm, sed continua serie annorum, ut sûs dèque Polonum everteretis Imperium; Nobis nihilominus infelicem hunc partum objicias, tantò impudentius, quantò clarius deliquistis. Quam præterea, Compositor Literarum, professus fuerit olim artem ignoro interea, non credo tamen Eutrapelum Tonsorem ita humana capita feliciter aliquando depilâsse, quemadmodum tu, omnem hic veritatem expilâsti. Sed voluisti credo in prima hac Conviciorum tuorum periodo, quam Gottica, Vandalicaque

dalicaque innocentia exornâſti, illam illam humani ſpongiam ſangvinis, Domitianum inquam æmulari. *Nunquam ille triſtiorem ſententiam, ſine præfatione Clementiæ pronuntiavit, neque aliud tunc atrocis exitûs ſignum erat, quam Principii lenitas.*

Certi Eminentiam Veſtram iſta dudum omnia æquo conſideráſſe animo, atque ægrè tuliſſe, cum viderit, Reipublicæ neq; pauca, neque exigua enata fuiſſe incommoda, ex Bello, quod ea tamen inſciâ, atq; invitâ, & ſine ulla diſſenſionis cauſa, cœptum, geſtumque eſt. II.

Hîc demum os populi meruiſti, & Cedro es digna locutus, dum palàm confiteris Eminentiſſimum Regni & M. D. L. Primatem, omnia æquo conſideráſſe animo, & ægrè tuliſſe incommoda, quæ Regni Provinciis adtuliſtis hoc bello. Quis enim fumantis Patriæ rogos, ſiccis ſpectaret oculis? quis populorum lacrymas innocentum, quæ pondera vocis habent, ſine intimo ſenſu exaudiret? Gemunt ſub Veſtro jugo geminæ Provinciæ, ſub Tractatum Pacis, inhumana vi, ad graviſſima tributa coactæ, trahuntur immiti armorum poteſtate, ad Fidelitatis præſtandum Sacramentum, obviæ Nobilitatis Familiæ, moventur ſedibus ſuis, quæ reſiſtunt, fumant Domus populares Veſtris ignibus, promoventur arma, nemine repellente, eo quod vicinæ Lithuaniæ vires, quæ ſuos fines tueri inprimis poterant, Civili diſſenſione diſtractæ, & Externæ Copiæ, quæ primo aſſultu difflare has inſidias potuerunt, in ſpem Tractatûs Pacis, edictoRegio admonitæ receptui cecinerunt.

nerunt. Eo ſiquidem proſpectabat Sereniſſimus Noſter AUGUSTUS, cùm duodecim millia armatorum in Saxonia parata, retinuit, ſpe deluſus Pacis. Taceo, auxiliares ſuppetias, quæ in procinctu fuerunt Nobis. Habeatis neceſſe eſt fortunæ Veſtræ gratiam, quod tantæ hoſtilitatis augures nunquam fuerimus. Nullus Veſtrum apertis oculis in Patriam rediiſſet. Neque veſtigium Sueticæ in Livonia poſſeſſionis legeretur hodie. Provocatum inprimis à vobis bellum, deinde Jurato Pactorum Sacramento, cœleſti Providentiæ devotum, *inſcia Republica invitaq́ꝫ geri potuiſſe* credas? Quis hactenus Sereniſſimum AUGUSTUM Noſtrum à percuſſo cum Republ. fœdere: *avulſa repetendi*, abſolvit? Quæ Lex circumſcripſit? Forte cogitas bellum hoc non ex Comitiorum Regni præſcripto effuſum? Quia nulla interea temporis Conſilia occurrebant, quæ non è Republ. æſtimarent, bonæ Viciniæ Juribus inſiſtendum, & non tàm belli, quàm Pacis artibus vigilandum. Invitum tamen non poteſt cogitari Regnum, quod *Jusjurandum de repetendis avulſis*, Sereniſſimo Regi ſuo præſcripſit. Cur non huc referas bellum hoc, quo Pacta Vielavienſia, Bidgoſtienſia, & Olivenſia, turbido Reipubl. intervallo extorta potiùs, quàm compoſita. Hæc enim non expectatis Regni Comitiis coaluere, aliquot tantum Senatorum aſſenſu, Regiis partibus favente, neque interrogata prius Republica, ſtetêre cum apertâ, & enormi læſione. Reclamante toties Magno illo Regni tunc Pro-Cancellario, deinde Primate Regni meritiſſimo, Andrea Olſzovio. Legiſſes utinam illius ſuper ea re ſententiam, in publicis dictam Comitiis, poſtea *in Cenſura Candidatorum*, ſolidiſſimis firmatam deductionibus. Non omiſit ibidem præclarus Scriptor, oblata occaſione Pactorum cum Polonia Sueticorum fidem,

ad

ad temporum memoriam, producere, quam tu in Nobis impudentiſſimè criminaris. Videres, quis prior ſacroſanctam Jurisjurandi religionem violaverit? Nolo tibi, tot tantisq; meditationibus intento, plura ſimul obtrudere. Unum *Joannem* ex eodem Codice, oppono, *Sigiſmundi III. Parentem, qui promiſsâ inter conditiones de eligendo Filio Eſtoniâ, non erubuit denegare eam Provinciam, cauſariq; à Carolo V. & Maximiliano II. Comitiis Imperialibus, Commendæ jure ſibi commiſſam; Cùm non minus Eſtonia, pars Noſtræ olim Livoniæ fuerit, quàm Smolenſcum Lithuaniæ, &c. &c.* En Sueticæ fidei Religio. Sed concludo ſecundum hoc Punctum, Criſpi Salluſtii Reſponſo: *Graviter, & iniquo animo maledicta tua paterer, ſi te ſcirem judicio magis, quàm morbo animi, petulantia iſta uti; ſed cum in te, neque modum, neque modeſtiam ullam animadverto, reſpondeo tibi, ut ſi quam voluptatem maledicentiæ cœpiſti, eam, male audiendo amittas.*

Speramus Eminentiæ Veſtræ haud levi III.
fuiſſe lætitiæ, ac delectamento, cum inſignem inaudiverit, quam ab hoſte Noſtro fœdifrago, ſummi Numinis auxilio, nuper reportavimus Victoriam, qua ita feliciter cæſus, fugiensque hoſtis, ut incertum ſit; turpiorne fuga nunc ejus, an iniquior, terrarum invaſio fuerit?

Quæ tibi frons aderat, cum iſta effunderes, vel potius effutires? Bacchi credo temulenti. Sobrius enim calamus talia non auderet exarare. Eminentiſſimo Primati Noſtro, aliquam lætitiæ umbram, de hoſtili Suecorum irruptione, qui vi Fœderum, eodem

Nobiſcum vinculo tenebantur, tam publicè velle imponere, aut ſuadere, par impudentia, Orbis totius judicio confutanda. Quis enim ſanæ mentis talia præſumeret, primo Regni Senatori, & ſacrorum Myſtæ, etiam privatim inſinuare, quæ tu ita publicè non erubuiſti intimare, ut te caput ſimul cum fronte priùs amiſiſſe demonſtrares. Præterea neſcimus hucusque quàm inſignem victoriam reportaveritis, duabus tantùm Legionibus repreſſis, quæ jam à tergo fuêre exercitus Noſtri, aliò abeuntis, de Regis ſui mandato, ad inſtantiam Reipublicæ, & vota populorum militiam illam ita ordinantis. Certè non perinde eſt, numerare palmas, & mereri Victorias. Nunquam Fraudes in Capitolio triumpharunt. Malè Tractatus Pacis, tam iniquo Marte evincuntur, & ſi aliquando coaleſcant, non diu florent. Olea, quæ inter ignes Martios emicuit, diu non poteſt alios ferre fructus, præter folia, ad cujusvis Auræ motum inclinanda. Exercitum Regium in procinctu viæ jam deprehenſum, neque à te viſum, fugiſſe aut impudenter appellâſti, aut nunquam alias Regum legiſti Mandata, quæ ſæpe Ducibus Militiæ, ut interim conflictu abſtineant, transmittuntur. Anni ſuperioris aciem, cum imaginaria hac Victoria Veſtra (prout tu quidem illam appellâſti) rite compone, & à turpis fugæ nomine abſtinebis. Neque Sereniſſimum Regem Noſtrum, terrarum Invaſorem Veſtrarum dices, ſi Provincias Noſtras, quas rejecto Pacis Tractatu ingreſſi eſtis, probè reputaveris. Sed placuit conviciari. Malè de Rege Noſtro AVGVSTO loqui didiciſti, cum benè neſcias. Nunquam Cato, nunquam Lælius, talia de Cæſare, aut Pompejo, ſcripſiſſet, armis utrinque florentibus. Irruptionem Sueticam inſignis Victoriæ titulo donâſti. Talpa facilius deprehenditur, ubi

ubi plus terrarum foderit. Numina terrarum Reges, Joves Noſtri ſunt, non fulminantur, ſed fulminant, ubi ſuas nubes compoſuerint. Diſce à calamo meo reverentiam Majeſtatis. Non tango pupillam tui Domini. Tu utrique injurius es, cum ita protervo ſtylo graſſeris, in gloriam utriusque. Tamen incertum eſt Europæ; turpiusne Vos Tractatum Pacis rejeceritis, quàm miles Regius, Mandato revocatus, à cæde Veſtra abſtinuerit, cui non pridem inſueverat. Viciſſe Vos tamen nuper, fugâſſeque Sereniſſimo Regi Noſtro præſenti libuit, non triumphare.

Speramus Eminentiæ Veſtræ haud levi fuiſſe lætitiæ, ac delectamento, cum inſignem inaudiverit, quam ab hoſte Noſtro fœdifrago, ſummi Numinis auxilio, nuper reportavimus Victoriam, qua ita feliciter cæſus fugatusque hoſtis fuit, ut incertum ſit: turpiorne fuga nunc ejus, an iniquior terrarum invaſio fuerit. IV.

Quis? per verba hæc Cupreſſis virentibus ſimilia, minores Aquilâ Polona volucres, illaqueari poſſe non crederet. Si ita omnem compoſuiſſes Larvam, ne interior ex inſidiis vultus tuus appareret. Nimirum poſtquam palmares ſeminâſti injurias, Gratias à Nobis expectas, poſtquam ferali Taxo adornâſti, appetuiſtiq; pericula, ſecuritatem polliceris. Riſu Sardonico credo correptus, decantas Liberatam hoſtilibus incurſionibus Livoniam, quam ita fraudulenter invaſiſtis. Quem ergo Hoſtem trium pænè Provinciarum appellabimus, ſi Regem Noſtrum Sereniſſimum plus quàm aggreſſorem dixiſti. Profectò niſi totius Orbis judicio reſu-

refutari malis, æquius eſt, ut miles Regis Poloniæ, in ſui Regni tellure ſubſiſtat, quàm externus. Summam proinde injuriam, quam Vobis adtuliſtis, neſcias ex quo Nomenclatore, multi commodi, & emolumenti donâſti compellatione. Quod enim majus diſcrimen? quod damnum cogitari poteſt execrabilius Reipublicæ? quàm in profunda Provinciarum illius viſcera, ferro, & igne graſſari, ſub titulo, & umbra, ſeu ut tibi placet, ſub Clypeo commodorum. Nempe Fortunatas Inſulas, extra terras, & maria promittis infelici Sertorio, per maxima pericula, ad majus navigaturo periculum. Pueris iſta, in atrio, vel arena colludentibus, non Reipubl. proponenda. Spem certam concipere Nos jubes, à multis, magnisque periculis hac occaſione vindicari poſſe. Hanc inter ſpatia imaginaria, vel inter Ideas Platonicas, ſub concavo Lunæ repoſitam credo ſervas. Cur enim tam grandia pericula, quæ neſcio per quam Dioptram aſpexiſti, non recenſes? Ego verò crediderim non poſſe manifeſtius Nobis imminere diſcrimen, quàm ſi Regni Noſtri Provinciæ, ab alieno, non ab Electo Rege Noſtro teneantur. Eadem ſimul viâ, Jura, & Libertatem, ſalvari poſſe ingenioſius, quàm veriùs inſinuas, qui verum Libertatis Noſtræ guſtum nunquam habuiſti: Integram Nobis per tot ſæcula ſupereſſe adhuc Libertatem, nullus Orbis non videt, nullus non invidet. Si nihilominus tantis Majorum Noſtrorum impenſis comparatum hoc decus, minus æſtimaremus, aut viles inter animas rejecti, quoquo modo mercaremur, profecto vicini Principes, vindicando adeſſent, etiam non invitati. Arcanum pando. Olim enim omnes hodie periclitarentur, hac ſublatâ. Stamus adhuc ipſis ſuffulti caſibus Poloni, nondum Nos inferte ſepulchro; ſtamus, viresque Nobis animique,

mique, Virique superſunt, ad memoriam eorum, quæ Nobis temporibus Caſimiri III. inflixiſtis, refricandam.

Perpendite rogamus bellum hocce, citra Reipublicæ conſenſum, ut credere fas eſt, ſuſceptum, nec non aliorum conſiliis, quàm qui Reipublicæ non benè cupiunt, decretum, geſtumque eſſe, quin & Rex Veſter, ſecreta cum aliis Poteſtatibus, percuſſerat Fœdera, & Tractatus confecerat non paucos, quorum nec habuit notitiam Reſpublica, nec bono publico, & ſcopo ejusdem ſalutari erant adæquata, pro libitu diſpoſuerat, quæ è diametro cum Senatûs conſultis, & Reipublicæ pugnant Conſtitutionibus; Pacta Conventa eludere quovis modo, & artificio ſatagerat, curamque adhibuerat maximam, quo inter præcipua Regni Polonici membra, atque concives, diſcordias, & internecina odia, concitaret, & aleret. Ex quibus omnibus, aliisq; quibus ſuperſedendum nunc putamus, luce meridiana evadit clarius, nihil Regi Veſtro fuiſſe deliberatius, quàm formidandas ſibi utrinque vires acquirere, debilitare Cives, & Regni incolas, eorum attrectare paulatim jura, Conſtitutiones publicas perrum- V.

 pere,

pere, ac destruere, & supremum tandem arripere, cum Reipublicæ eversione, arbitrium, atque Dominium.

Immortales tibi ageremus gratias, quas referre non possumus, pro supplici hoc Libello, quo nos tantopere rogas, ut mala Nostra perpendamus tempestivè, si plus solidæ probationis, quàm nudæ assertionis adtulisses. Lege, si tibi libet, Senatus Consilii de hoc bello sententias, quæ Comitia Regni in tempore præcesserunt. Vel si hoc tibi non facilè concedatur, expendas velim Magni Reipublicæ Marschalci S. R. I. Principis, Stanislai Lubomirii, ut ævo, ita singulari experientia rerum, eximii, sensum, publicis expressum Typis, & de consensu, toties repetitam cramben stomachanti palato non obtrudes. Serenissimum Regem Nostrum, arcana cum aliis Principibus percussisse fœdera, ignorante Republica, perinde est conviciari, atque non probare: quando? & cum quibus? Profectò si vel umbram hujus veritatis latere intra profundissima terrarum viscera comperisses, tantus Livor in publicum Solem refodisset. Palam pridem legerentur à Nobis nomina cunctorum Principum; omnibus constaret Typographis, quando? & ubi hæc alea de Regni Nostri Juribus & Libertate jacta fuerit? Tu certè non eam, ut clarè perspicio, habes reverentiam AUGUSTI Nostri, ut tacueris, si non ignorares ipse, cujus calamus talia promulgavit, quæ neque in Octavi Sapientum Græciæ, legantur somniis. Pharsalicam inter Concives discordiam, ante Electionem Serenissimi Regis Nostri, ex occasione Coæquationis Jurium, enatam benè novimus; aliam hucusque penitus ignoramus, de qua tu video, Nuntium nescio, ex qua Orbis plaga excepisti. Verisimilius tamen est, Nobis

cre-

credere, qui hæc palpamus ſpectamusque in Patria, quàm tibi, qui ex peregrinis foliis, tanquam de Nilo, maculoſo limo ſtagnantibus Oſtiis ſeptem hauſiſti, ut haberes, quod per otii licentiam effunderes. Pacta Conventa ne eluderentur *de repetendis avulſis*, providit inprimis Sereniſſimus Rex Noſter, providebitq; amplius Divino Numine aſpirante, & cauſæ meliori favente. Concludis; projectis tot ubique criminationibus, & nuſquam probatis, quibus non tantum Regiam Majeſtatem, ſed ipſa etiam folia epiſtolæ tuæ fœdâſti, aſſerendo: luce meridiana tibi clarius apparere, quod Sereniſſimus AUGUSTUS Noſter, omnes eo curas verterit, ut effractis Regni Legibus, per calcata Civium colla, ad Abſolutum evadat Principatum. Scilicet, tu centoculo oculatior Argo, vel bifronte Jano perſpicacior, ille præterita reſpiciebat tergo, & fronte venientia prævidebat; tu etiam illa introſpexiſti curioſè, quæ nunquam acciderunt, neq; uno ſæculo poſſunt tam facilè advenire, quam tu temere cogitâſti. Si forte Elector Brandeburgicus in meta tibi eſt, Nobis nihil hucuſque compertum. *Notant tamen Aſtrologi: ſub ortum coronæ flare ventos, & naſcentibus Imperiis, procellas excitari certum eſt; quia non deſunt animi ſemper præſentibus mœſti; & futurorum avidi, qui ſive invidentia, ſive metu, ſive lucri, & honoris cupidine, ſive dolore contumeliæ, Principatum non dum hærentem ſibi, non dum alta radice firmatum, acrius percellunt.* Si Clementia Sereniſſimi Regis, quam hucuſque adhibuit, in moderanda diſſenſione Lithuanica, bilem tibi uni movit, aut obliquam injecit ſuſpicionem adverſæ conniventiæ, forte legiſti, quæ adjicio. *Multa ſunt humanæ imbecillitati condonanda, ignorantiæ multa, quædam etiam affectui, pœnitentiæ omnia. Multos ſervare oportet, etiam invitos, nec audiendi omnes, qui*

vo-

volunt perire. Quibusdam error imposuit, plerisque opinio fucum fecit. Alios maligna Consilia pessum dedêre. Sunt etiam, quibus sola fortuna, pro culpa est. Multos absolvet, qui se à DEO cupient absolvi. Nulla tam solers cura, nulla tam profusa benignitas, quæ omnes motus possit amoliri. Res populi est, aut nulla esse bella Civilia, aut citò finiri. Interrogare igitur prius debueras judicii tui Areopagum, vel conscientiam, liceretne Regum præcipuè externorum, tantò minùs vicinorum, tam audacter intimum Capitolium, imò etiam cogitationes profundas subintrare? Reges Divini in terris Imperii vices gerunt. Reverentius omni ævo visum, de Actis Deorum credere, quàm scire. Nisi ex illorum sis numero: ut scias mane, quid Juppiter de nocte locutus cum Junone? Vel vices Ganimedis agas inter mensas Principum, inter Alexandrinos nuper pueros educatus. At non facilè adducor, ut fidem adhibeam. Sic enim omnes Tabulas Poetarum superares, qui tamen novæ apud nos Historiæ, vis Author haberi. Itane verò Nos lippos credis, ut plura propius non videamus, quam tu tot à Nobis terrarum spatiis, & animo magis alienus. Crede mihi, si mereor aliquam apud te fidem, vel ambio: aliena, & nimis procul à vero recitâsti. Eum nacti sumus Poloni Principem, quem optimus quisq; color decet, ut Aristippum, & nullius rei tantopere sitientem, quàm gloriæ immortalis. Quomodo dilatare amissos Patriæ fines, ita diligenter contenderet? si amaret (ut inquis) domi discordias? quomodo servaret ad bella Cives? perdendo. Non haberet profectò, cui tandem imperaret. Nulli (si memini) Regum ejusmodi ratio dominandi, successit hactenus. Neque Bohemia, neque Ungaria, omnes viros, viresq; amisit, postquam novi habenas admisit

Im-

Imperii. Formidandas tandem contra Poloniam, à Sereniſſimo Rege Noſtro, nihil minus cogitante conquiri vires, poſtquam buccinare non erubuiſti, unde? & per quæ terrarum ſpatia? vel per quem aerem in Nos erupturas? dicere omiſiſti ſapienter, cum probè ignorares. Ad hoc tamen per compendium tibi repono. Nihil ita formidabile natura produxit, cui non viciſſim aliquid oppoſuerit formidandum. Meminiſti credo, quàm feliciter non ita pridem Poloniæ Regnum, Suecis, Brandeburgicis, Moſchis, Kozacis, Ungaris, Scythis, & quod his difficilius fuit, civilibus diſcordiis, eodem ſimul bello reſtiterit. Poloni enim, ita volente ſupremo Numine, fortius ſuis fluminibus, quàm cæteri Halecum Mari defenduntur. Quoties tamen ferventioribus Solis radiis, vel nimii Martis æſtu ſiccantur, illa quàm primum affuſo ſangvine hoſtium attollimus.

VI. Hocce immoderatum vaſti animi Deſtinatum, nunc quidem noſtra Victoria, exiſtimari poteſt quodammodo repreſſum, ſed artibus ejus non confidendum, tempeſtivis conſiliis, fortibus remediis, & cita executione opus eſt, ſi ſalva Regni Jura, & incorruptam libertatem Veſtram cupitis. Dubio enim caret, poſtquam in animum ſemel induxerat abſolutum Regimen, ſibi vindicare, ne concepta ſpe ſua, magnisq; auſis excidat, nihil eum relicturum intentatum, quo illud perficiat, nihil penſi habens, ſi finis, quem ſibi propoſuit obtinendi gratia,

 & to-

& totam Rempublicam, & præcipua ejus membra, noxæ, & interitui immolaret.

Hucuſque ignota omnibus tam vaſti animi Deſtinata, quodammodo à Vobis repreſſa, ne fidem quidem apud Nos invenerunt. Reprimi ſiquidem nequiit, quod nulli fuiſſe conſtat, præter opinionem tuam, baculo ſuffultam arundineo. Quid verò Sereniſſimus AVGVSTVS Noſter tacitâ mente agitet, proxima Regni Comitia forte evolvent, & ver immimens, toti Europæ aperiet clariùs. Polona ſiquidem Reſpublica, geminos habet oculos, Senatorium ſcilicet Ordinem, & Equeſtrem, quibus, incumbentia Juribus antiquis, & Libertati procul videre poſſit pericula. Externâ, ad præſentem, quam temere minaris procellam, non egemus Perſpectivâ. Artibus Regum, quæ Legibus Noſtris hucuſque paruêre, nunquam Poloni rebelles fuimus. Imperito Medico tu interea ſimilis es. Fortia citaque remedia ſuades adhiberi, ubi nullus adhuc morbus apparuit, qui una dextrâ non poſſit in tempore diſſipari. Tu verò tantùm, celerem ſuades executionem Medicinæ, ut citius præcipitatis remediis moriatur, qui nunquam ægrotavit. Nominare prius morbi præſentis cauſas, debuiſti, non augurari, priusquam remedia, tam violenta præſcripſiſſes. Profecto inuſitatam hactenus artem imitaris: morbum advocare contendis remediis, ſano adhuc integroq; corpore. Morem illorum ſecutus, qui rectè valentibus Medicos ſuadent, ut lucrum capiant, morte improvisâ pœnitendum, illi qui valuerat. Libertas etiam Noſtra nulli externorum carior eſt, quàm Nobis, quibus, tot tantisq; non fortunarum modo, ſed ſangvinis quoq; ſtetit impenſis. Aulæ, Regniq; Miniſtros, cenſemus illos, quos orbis exempla docuêre: quid

quid ſit innocentem perdere, vel mercari Rempublicam? Tam difficilem proinde Abſoluti Imperii cogitationem, nemo Sereniſſimo Regi Noſtro, poterat injeciſſe, niſi reus Majeſtatis, & illius ſecuritati minus favens, nec non tranquillitati publicæ, in his præcipuè rerum terminis, qui nos circumſtant. Si tamen ſimilia tuo ſcripſiſſes nomine, non Sueticæ titulo Majeſtatis, non defuere modi Reipubl., quibus petereris. Interea ſub tanto Clypeo ſalvus es. Abſolviſſes nihilominus, non Polonos tantùm, ſed totam etiam poſteritatem, ita importuna, claraque Malevolentiæ Tuæ ſuſpicione, ſi quid eorum probâſſes in particulari, quæ ſine ullo prorſus argumento, quaſi Oracula, neſcio ex cujus Apollinis Tripode audita, vel in bicolli ſomniata Parnaſſo, ita palàm protuliſti. Odio præterea plusquàm Vatiniano, Profeſſæ nuper fidei, à Sereniſſimo Rege Noſtro, præcipua Reipubl. membra, ad necem, & totum Regnum ad interitum deſtinari aſſeris. Inter Medos, & Perſas, malignitas tanta ignoratur. Nunquam Nerones, nunquam Maxentios, Diocletianos nunquam, Regum Poloniæ ſolia per tot ſæcula, conſpexêre. Longè ſumus poſiti, ab ævo illo infelici, quo Tyranni Purpuram ſuam, non tam Oſtro Tyrio, quàm Civium ſangvine imbuebant, Habemus gratiam Diis Tutelaribus, quod in hanc uſque diem, illos Imperii Noſtri cenſeamus Moderatores, ita Pios, & Clementes, ut nullus Civium, illis regnantibus, Pullam Veſtem induerit. AUGUSTI demum Noſtri Clementiam, omnibus retrò ſæculis prædicandam, & procul à tam immani feritate, quam tu impudentiſſimè criminaris, nullus eſt, qui non videat, nullus, qui non amet. Unum te illius gloriæ, ſoliique ſplendor, ita excæcavit, ut Sol inaſſuetam ſuæ Luci palpebram, meridianis ſolet radiis flagellare. Non ideò tamen ſidera, ſere-

niſſima

tissima non sunt, non ideò mel non est dulce, quia ægris, sic videtur; neque ideò Rosa non fragrat, quod mortem adferat scarabæo.

VII. Huic igitur malo maturè præscindendo, medium accommodatius vix adhiberi potest ullum, quàm si Rex iste, throno quàm primum dejiciatur. Quippe quo se infracta toties Legum & juratæ Capitulationis fide, reddidit indignum. In quo cum non minus Reipublicæ Vestræ, quàm Nostræ posita sit securitas, non possumus non huic rei perficiendæ summopere insistere. Neque quisquam rerum peritus Rempublicam propterea iniquitatis accusabit, accusabit autem fortassis Posteritas, nimiæ lenitatis, ac imprudentiæ, si id infectum reliquerit, nec Nobis imputari poterit culpa, si necessitate adacti, hostem Nostrum prosecuti fuerimus, ubicunq; ipsi securitas, & sustentatio contingat præstari. Cumque satis superq; constet Nobis nihil magis in votis esse, quam ut quies duarum Nationum, quas Nativa quædam, & perpetua communis utilitatis ratio propiori amicitiæ nexu conjunxit, quantum in Nobis situm est, non perturbetur.

Dii

Dii Boni! quantum prius pulverem excitâſti, ut eo tandem dementiæ pervenires, quò nulla fatuitas auſa eſt Polonos ducere. Nimirum: quemadmodum onerati mero, non continent, & cibum, & ſecretum, ſed quod ſuum, alienumque eſt, pariter effundunt; ita tu neſcio quo livore, in Sereniſſimum Regem Noſtrum, ævo immortali dignum, tam diu tortus, aperuiſti mentem Faſtis Noſtris incognitam, & arcanum de exturbando Rege innocentiſſimo conſilium revelâſti. Huccine omnes illæ criminationes, quibus epiſtolam onerâſti, collineabant, ut tam fœdam tandem impietatem, Nobis perſvaderes? quibus omnia ſceptra ſacra ſunt, & omnem Purpuram adoramus. Putâſti te Finlandis tuis, aut Gottis ſcribere, non Polonis; qui eo religioſiores in fide ſervanda, quo Liberiores; & quibus illa eſt, erga ſuos Electos reverentia, ille Regum amor, ut gloriari omnes poſſint, ſe in cujusvis Civis ſinu, dulciorem capere quietem, quàm in Regiâ. O ſola fortem garrulitate Fecialem! qui Nos more Andabatarum, cum armatis umbris, incertum in quo Campo Martio diſpoſitis, omnino jubet præliari. Scilicet, illa Nobis ~~illa Vobis~~ remedia præſcripſiſti Galene Vandalice, quæ illum Reipublicæ morbum adferre poſſint, ex quo nunquam convaleſceret. Violata toties Legum, & juratæ Capitulationis fide, indignum Solii Poloni Majeſtate Regem, plus quam Prætoriano edicto pronuntiâſti, hoc eſt, ſeveriſsimè damnâſti, quem nemo, te præter, accuſavit. In hoc uno Areopagitas imitatus, quod clauſis oculis, & ſubmota luce protuleris ita crudelem ſententiam. Maſſagetis iſta, vel Barbaris obmurmurare poteras, apud quos tot Reges non ſicca morte, ad Cereris Generum deſcenderunt, non Polonis: qui etiam exulanti Regi ſuo, Sileſiam olim ad vitæ alimenta conceſſerunt. Bole-

ſlaus Audax, ſponte ſe Regno exuit, non vi pulſus. Miecislaum Senem, ſua throno exturbavit inertia, Criſtinam impietas pepulit. Leſco Albus, Caſimiri Filius, à Suatopelco Pomeraniæ Gubernatore, interemptus, Premislaus II. à Marchionibus Brandeburgicis, per inſidias, vita ſimul, & Purpura exutus eſt. Idem fatum Sigiſmundum III. in Suecia expectabat, niſi ſe Noſtræ felicitati diligentius ſervâſſet. Poloni ergo, nunquam in ſuos Reges ſurrexerunt, aut ſævierunt. Jam metire ſi potes, quantum hoc Claſſico profeceris, quod inflâſti. Excivîſti ſedibus ſuis, omnium Legatos Provinciarum, qui Vitam, Fortunas, Liberos & Sangvinem ſuum, Sereniſſimi Regis ſecuritati, nomine publico devoverunt. Armâſti Regnum totum in prælia, non humili exiguoque ſangvine dirimenda. Dicam ſimul: Apes omnes pro Rege innocente, ex alveari provocâſti. Alcyonia domeſticæ tranquillitatis, quæ ex certiſſimæ Pacis ominabamur Tractatu, & jam de littore proſpectabamus, infelici hac tuba diſflâſti. Quod velitis telam hanc Aranearum, quam orſi eſtis perficere, nullus ambigo; ſed neque hoc incertũ, quod Arachnam Minerva ſuperare poſſit. Ex Cerauniis porro Sueticis prius tu legeris Palmas, aut Lilia, quàm Poloni publicæ inde gloriæ folium recipiant, ſi Regem tantis Majoribus ortum, totque inſignem trophæis, throno, in quo illum non ita pridem poſuêrunt, nullâ causâ, præter tua Commenta, quæ tantum, apud Nos conciliarunt fidei, quantum ubique probationis adtuliſti, movere contendant. Neque ullam pro eo formidamus Poſteritatem, quod Optimo Regi Noſtro, juratam ſemel fidelitatem, & nunquam ante Nos violatam, illibatè integreque ſervavimus. At Veſtræ hoſtilitatis culpam, nullius Unda Ponti, ſatis unquam eluet, ſi præter trium Provincia-

rum

rum uſurpationem, amplius ſigna Veſtra explicueritis. Noveris pridem Polonos didiciſſe, ſub frigido quoque Jove, fortiter militare, & Sarmaticas ferre hyemes, procul Tentoriis, procul foco. Satis Nobis eſt ignis pyrius, quo Martius ardor incaleſcat. Flumina Nobis longo gelu glaciantur, non animi. Non ita pridem clypeos, non pridem Haſtas poſuimus. Non imparatos proinde deprehendetis, neque inter jejunos focos oſcitantem militiā experiemini, ſi (quod minaris) adveneritis. Vel inter ipſas mortes Regis Nobis odium non perſuadebis. Quodcunque demum membrum, enſe recidendum, vel effodiendum eſt, ſi non bene conveniat ſuo Corpori. Univerſi nihilominus:

Excipiunt Medici, Theiologiq; Caput.

Noſtræ, Veſtræque Reipublicæ quietem, cordi Vobis inprimis eſſe, & inter vota præcipua, nemo eſt, qui intelligat, poſtquam illam tribus Provinciis exturbâſtis. Certè, non iſtis artibus Regnorum tranquillitas comparatur. Verùm: Credat Judæus, Apellæ, ego tamen à fide hac tantum abhorreo, quantum tu diſſides à Romanâ

De hac re tota in Literis Noſtris ad Rem- VIII.
publicam perſcripſimus prolixius, quas opportuno tempore tradendas Eminentiæ Veſtræ commendamus, ſimulque ab ea benevolè, & amicè contendimus, ut iisdem pondus authoritatis ſuæ, ſummamque qua pollet prudentiam, & conſiliorum dexteritatem, adjungere non gravetur. Quod ſi fiat, nulli ambigemus, quin & vim habeant effi-

efficaciſſimam, & Nobis optatum adveniat quantocyus reſponſum. Si quid opis & auxilii à Nobis deſideretur lubentes promittimus, Nos præſente nunc exercitu Noſtro eodem Reipublicæ pro rei exigentia adfuturos, nec immemores erimus aut zeli, & laboris ab Eminentia Veſtra præſtiti, aut teſtificandi erga eam, quacunque occaſione grati animi, Regiæque Noſtræ benevolentiæ. De cætero Eminentiam Veſtram Divinæ tutelæ commendatam, & quàm diutiſſimè incolumem cupimus. Dabantur in Caſtris Noſtris prope Bauthſkie Die 30. Julii, Anno 1701.

Inſolitum quidem hactenus apud nos fuerit, ut Primas Regni Noſtri, vices externi ad Rempublicam Tabellarii, aliquando ageret, præcipuè ubi de ſumma rei, & ſeditione Civium ferebatur ſententia. Sed is menti tuæ calor incidit, ut non alteri Libellum Regis Sueciæ, niſi Eminentiſſimo Cardinali commendares, ſimulque pondus & authoritatem, conciliares Epiſtolæ: Dabis veniam: alibi imprudentiæ tam inſigni fiduciam conciliare, aut ſaltem quærere debuiſti, & priùs quàm auderes, atrium indolis explorâſſe: cuinam Literas Uriæ porrigeres? Non placuit forte interrogare Orbis exempla, & ſæculorum memoriam, num fas eſſet, ita palam, feralem flammam, Regiæ injicere alienæ, per primum Senatorem, & Regni primum Principem? Profectò, tam præcoci conſilio, felicem ſucceſſum polliceri non poſſum. Errores im-

impetu; conſilia, mora valeſcunt. Ita feſtinatæ ad Rempublicam Literæ, procul Regni Comitiis, perſimiles arbitror excitato culinæ foco, perdicè, adhuc per ignotas ſylvas, aut campos Elyſios volitante. Summa præterea Prudentia, & conſiliorum dexteritas, qua Eminentiſſimus Primas pollet, ante alios, id præſtabit procul dubio, ut ſe illis ſubducat, quos reos eſſe læſæ Majeſtatis, tam clarè intelligit. Auxiliares Nobis ſuppetias, ſi neceſſitas poſtulaverit, præſentemque exercitum liberaliſſimè polliceris. Timemus Danaos, & dona ferentes. Quodſi tamen Balenæ venter, aut Lari guttur, has tibi Reipublicæ Noſtræ tuendæ cogitationes peperit, & inſeſſæ Regni Provinciæ, famem adhuc accendunt; Noveris etiam Vultures, Harpiasque, longam poſt inediam, eſcis, quas in ungvibus habent minimè ſaturari, ſed aliorum Nidoribus cadaverum inſuper inhiare. Leonem, halecibus non ſatiabis; majorem ſitit prædam.

In Concluſione Epiſtolæ, ita perite integri Amici adornâſti imaginem, atque ſi Pyladem aliquando pinxiſſes, vel Oreſtem. Grati animi ſignificationibus, eos colotes addidiſti, quos neque Appelles, neque Protogenes adhibebat, Helenam expreſſurus, vel unam Gratiarum.

Fruere igitur tam felici ingenio, Scriptor Regie, & egregie, jamque nervos animi tui, tot criminationum, fraudiumque meditatione fatigatos refice, & *exiguo piperi, ſi ſapis adde piper.* At ne forte ad imaginem veritatis impotenti patientia exardeſcas, laudo jam, per omnia Literarum folia, diffuſam artem ſolertiæ tuæ; Piſcatores peritos, in turbido diligentiſſimè laborantes, vel Adulatores, imitari voluiſti, *qui nihil potius meditantur, quàm quod putant gratiſſimum*

Auditoribus fore. Nec eni…
petunt, nisi quasdam insidi…
Ne non amica manu ex…
rumque calamum tuum…
nissimi AUGUSTI …
involvet. Alias non …
nes etiam Vulcani pub…

pudentem paginam. Va… ne
si vis, ama.

Oppositum enim:

Oderunt speculum deformes cernere vultus.